



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imagines Sanctorvm Ord. S. Benedicti

Stengel, Carl

[Ort nicht ermittelt], M.DC.XXV

VII. Ivnii. S. Deocharvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38356

SDEO CHARVS, Germanis Gottlieb/ Græcis Theophilus, vir valde venerabilis, scientia scripturarum, & religione monasticæ conuersationis, insignis, multis effulsit virtutibus. Fuit primus Abbas Monasterii Hasenrietani, seu Hernriedensis, conditi à Carolo Magno. Erat autem locus, vbi nunc Hernrieda, vastus & desertus, cum à S. DEOCHARO incolæ captus est; in cuius gratiam Carolus Magnus exiguam ædiculam Deiparæ Virgini consecratam, exstruxit; quæ in magnâ rehgione & veneratione fuit vsq; ad auorum vel proauorum nostrorum memoriam, nam anno salutis M. CCC. XC. in Vigilia SS Apostolorum Petri & Pauli incendio periit cum potiore ciuitatis parte.

Supradictæ Ædiculæ adiecit postea Carolus Magnus insigne Monasterium, cuius primus Abbas DEOCHARVS. Eius festum VII. Idus Iunii agitur. Quo verò anno Domini res mortales reliquerit ad cælestem beatitudinem translatus, mihi non liquet. Certum est, sanctitatem viri post mortem variis miraculis à Deo declaratam & illustratam esse. Anno salutis M. CCC. XVI. eleuatum est sacrum corpus S. DEOCHARI, præsentem Ludouico IV. Imp. Bauaro, & Philippo Episcopo Eystettensi, repositumque in sarcophago lapideo, portione de sacris Reliquiis Ludouico Imperatori data, qui eâ Norimbergensium Templum Laurentianum cohonestauit, in cuius altari duodecim Apostolis consecrato religiose asseruata est. Anno Domini M. CCCC. LXXXII. ipso Paschatis festo, præsentibus Wilhelmo Episcopo Eystettensi, nonnullisq; canonicis, apertus est lapideus ille, de quo supra, sarcophagus; in quo reperta sunt sacra ossa DEOCHARI, viridi eoq; serico panno involuta, non sine gratissimi odoris fragrantia, quæ ex veteri conditorio exempta Wilhelmus Episcopus in nouum abs se procuratum transtulit.

Porro tam Hernriedæ quàm Norimbergæ Deus varia miracula beatis hisce lipsanis interuenientibus, edidit; nam & cæcis visus, claudisq; gressus restitutus est: fugati omnis generis morbi etiam Epilepsia. Fædus strumæ tumor depulsus. Vita reddita iam ad mortis limina admotis: In præceps delapsi quidam absq; noxa, inuocato S. DEOCHARI subsidio. Deniq; multa alia beneficia ad sacros hos cineres mortalibus accurrentibus di-

uinitus concessa sunt. Ex SS. Eystet.

Greß. Obseruat. l. 2. c. 8.



L

VIII. IUNII

Handwritten notes on the book's spine:
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...
 ...